



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

De Frigidis Et Maleficiatis, Et Impotentia Copundi. Titvlvs XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

net viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines: inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem, scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prolixitas affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Ne autem a intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur debet publice inhibere. & praesumptores ecclesiastica districtione punire, non obstant consuetudine, quae dicenda est potius cor- riptela.

[I Articuli, qui tibi aliquam dubitationem inducant, no- strum duci consilium requirendum, & ad ea exequenda quae affi- cium expostulant pastoralis ap. se. procuras auxilium invocare, salici- tudinem tuam digni in Domino laudibus commendamus. Et po- sitationibus tuis grato animo respondemus. Significasti siquidem nos, quod in dec. tua pater & filius, & matrem & filiam, duo cognati, & avunculus & nepos duas sorores ducunt in conjugium, & maritus & uxor simul baptizent puerum alienum. Quaedam praeterea tua dec. infra tertium & septimum gradum consanguinitatis se contingentes ad invicem matrimonium contra- hant, hoc filii licet de antiqua consuetudine asserentes.]

CAP. VI.

Non valet dispensatio obtenta a Papa super matrimonio inter consanguineos contracto, si tibi causa falsa sit expressa, nisi postea eam Papa confirmaret. h. d. secundum verum & communem intelle- ctum.

Idem.

Quia & circa: & infra. Porro de nobis viro N. pro- ceptus dispensatione, indulgentia scilicet remanendi cum ea, quae ipsi quinto consanguinitatis gradu con- tingit, a sed. Apost. obtinenda, falsa nobis causa fuerat al- legata, proles videlicet. Cum tamen ante dispensatio- nem obtenta unica filia, quam habebat, viam fuerit uni- tate carnis ingressa, prout tua consultatio continebat: dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione (sicut adferis) grava videas scanda- lam imminere.

CAP. VII.

Testes, qui de consanguinitate deponunt, computationem debent a fratre, vel germine incipere.

Idem.

Tvanos & duxit fraternitas consulendos, utrum illo- rum sufficiat testimonium ad matrimonium diri- mendum, qui consanguinitatis gradibus ab avunculo & nepote, videlicet fratris filio, vel fororis inceperunt com- putare? Nos igitur inquis. t. r. quod cum conjugium multum favoris obtineat, testes, qui ad divorcium cele- brandum producti consanguinitatis gradus computant, a fratre debent incipere, id est, a parentibus vel germanis, & sic per ordinem distinguere gradus, nominibus pro- priis, vel aequivalentibus indicis designando personas, praesentem cum saepius testimonium perhibeat de auditu: quod quia minus est validum, non est in articulo huius- modi nimium laxanda facultas: quum qua ratione com- putationem inciperent a secundo, eadem ab ulterioribus inchoarent.

CAP. VIII.

In secundo & tertio affinitatis genere tollitur prohibitio, qua- dum erat in matrimonio contrahendo. Similiter tollitur prohibi- tio de sobole suscepta ex secundo nuptiis, qua olim non poterat contrahere cum cognatione prioris viri. Et prohibitio conjugii ul- tra quartum, consanguinitatis & affinitatis gradum non ex-

a Vide Conc. Trid. sess. 24. de reform. matr. can. 6. b Quan- tum ad contrahendum vel non intra gradus prohibitos attinet, bene desit, non debet, sed. c C. 2. eod. tit. in 4. comp. Et quatenus ag- gatur de testimonio de auditu, vide Cravettam de antiq. iura. part. 1. circa finem, vers. visio de fama. num. 304. cum multis seq. adde. text. in c. licet ex quadam. Sup. de test.

tenditur. h. d. iste textus qui quoties allegatur, & est singularis in materia sua.

Idem in Concilio generali.

Non a debet reprehensibile iudicari, si secundum- varietatem temporum, statuta quandoque variantur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens u- tilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quae in vete- ri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affi- nitatis genere minimè contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis, cognationi viri non copulanda prio- ris, & difficultatem frequenter inducant & aliquando pe- riculum pariant animarum, cum cessante prohibitione, cesset effectus: constitutiones super hoc editas, sacri ad- probatione concilii revocantes, praesenti constitutione decernimus h, ut sic contrahentes de cetero liberè copu- lentur. Prohibitio e quoque copulae conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non pot- est absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio genera- liter observari. Quaternarius verò numerus bene con- gruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apo- stolus, quod vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor d. elementis. Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulae sit restri- cta: eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis: ut si quis contra prohibitionem huiusmodi praesumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur anno- rum: cum diuturnitas temporum non minuit peccatum, sed auget: tantoque sunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.

CAP. IX.

Distans a stipite quarto gradu vel ceterior, cum distans quin- to, ulteriori contrahere potest. h. d. cum glossa.

Gregorius IX.

Vir, qui a stipite e quarto gradu, & mulier, quae ex al- lio latere distat quinto, secundum regulam adproba- tam, quae dicitur: Quoto gradu remotior distat f a sti- pite, & a quolibet per aliam lineam descendendum ex eod- em: licite possunt matrimonialiter copulari.

DE FRIGIDIS & ET MALEFICIATIS, ET IM- POTENTIA COEUNDE.

TITVLVS XV.

CAP. I.

Si maritus provocante ad divortium, & se impotentem asserente, mulier hoc item fatetur, servata solemnitate canonica matrimonium indissolubile dirimitur: sed si decipiat ecclesia, primum matrimo- nium reparatur: si verò muliere agente vir asserat se potentem, nisi per aspectum corporis, vel alio indubitato modo convincatur, mulier non auditur: sed si vir hoc idem confitetur vel convincatur, matri- monium separatur, & mulieri contrahendi licentia datur. h. d. se- cundum Hostien.

Ex Brocardico lib. 18.

Accepisti h mulierem, & per aliquod tempus habuisti, per mensem, aut per tres, aut per an-

a Ca. 3. eod. tit. in 4. comp. b decrevimus. c Vide B. Thom. 4. sent. dist. 40. q. 1. art. 4. d In concilio & aliquot vetu- stis, quod constet ex quatuor elementis. e Vide citatos in ca. precedenti. f distat. g De materia huius tit. 4. sent. dist. 34. ubi dicit & B. Th. q. 1. h C. 1. eod. tit. in 1. comp. vide Durandum 4. sent. dist. 34. q. 2. & plenius ibi Sotum. q. 1. art. 2.

572  
nondum  
facta u-  
lebere.  
ad dicit  
Inquis.  
gnovisse  
istum.  
tummo-  
li.  
gradu, a-  
gradu di-  
is, qui  
legi-  
lineam  
gradu  
entiam  
nibus  
ur posse  
in quod  
admitti  
quando  
in gra-  
molen-  
illa sic  
littere  
no gra-  
con-  
ximus  
um.  
ruca-  
quod  
gnati  
dura-  
tibi  
angul-  
mandum  
hoc tit.  
de Mo-  
ens.  
Et.  
ni.



num: & nunc primum dixisti te esse frigidæ naturæ, ita ut non potuisses coire cum illa, nec cum aliqua alia: si illa, quæ uxor tua esse debuit, eadem affirmat quæ tu dicis, & probari potest per verum iudicium, ita esse ut dicis, separari potestis, ea tamen ratione, ut si tu postquam accepisti, reus perjurii a iudicaris: & iterum post peractam poenitentiam priora connubia reparare debebis. Illa autem b si prior post annum, aut dimidium ad Episcopum, aut ejus missam proclamaverit, dicens, quod non cognovisses eam, tu autem contrarium affirmas, tibi credendum est, eo quod a te mulieris: quia si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? citò enim & in parvo tempore scire potuit, si secum coire potuisses. Si autem statim in ipsa novitate post mensam, aut duos, ad Episcopum, aut ejus missam proclamaverit, dicens, Volo esse mater, volo filios procreare, & ideò maritum accepi: sed vir, quem accepi, frigidæ naturæ est, & non potest illa facere propter quæ illum accepi: si probari potest per reum iudicium, separari potestis, & illa si vult, nubat in Domino.

CAP. II.

Impotens ad copulam, est impotens ad contrahendum matrimonium, sive sit impedimentum atatis, sive naturæ.  
Alexander III. Ambianen. c. Episcopo.

Quod a sedem: [1 & 7.] Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio: sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.

[1] Apostolicam consulisti super his que tibi dubia existunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde s. non parum commendanda videatur. Ex tua siquidem parte nobis est innotatum, quod quaedam mulier tui episcopatus cuidam viro nupsit, asserens quod ob utriusq; iniquam rapturam genitalia ejus abscissa fuissent, nec dum ab eo cognita fuisset, qui utiq; saltem leprosus se pauper & sua domui reddidit infirmorum. Mulier verò ad domum patris reversa sicut asserit juvenis, alii viro nubere desiderat, & conjugali affectu conjungit. Unde licet Romanæ ecclesiæ non consueverit propter talem infirmitatem, vel propter alia maleficia legitime conjunctos dividere, si tamen consuetudo generalis Gallicanæ ecclesiæ habeat, ut hujusmodi matrimonium dissolvatur: nos patienter tolerabimus, si secundum eandem consuetudinem eidem mulieri, cui volueris nubendi in Domino concesseris facultatem.]

CAP. III.

Naturale impedimentum ad coitum, inseparabile arte medicorum, matrimonium impedit.

Idem.  
X literis e tuis accepimus, quod quidam sedecim annorum, quandam annorum tredecim duxit uxorem: qui cum debitum reddere non posset, mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omnino viro sit facta inutilis, & instrumentum ejus impeditum, ita quod vir ei commisceri non potest. Respondemus igitur, quod si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam, tribuas facultatem.

CAP. IV.

Contrahens scienter cum impotenti ad copulam, ab ea non separatur.

Lucius III.

Consultationi s. tue, qua nos consuluisti, utrum femine clausæ impotentes commisceri maribus,

a Iudicaris. b in aliquot manus. post annum & dimidium, quam litionem videtur agnoscere gloss. in verbo, tacuit. c Ambian. d C. 3. eod. tit. in comp. & post Conc. Lat. sub Alex. III. p. 30. a. 28. vide Sylvestrum in summa, verbo matrimon. q. 16. e C. 1. eod. tit. in 2. comp. vide Th. 4. sent. dist. 34. q. 1. art. 2. f C. 2. eod. tit. in 2. comp.

matrimonium possunt contrahere: & si contraxerint an debeat a rescindi? Taliter respondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium: Romana tamen ecclesiæ consuevit in confirmabilibus iudicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeantur sorores.

CAP. V.

Si de impotentia coeundo conflet, statim matrimonium separatur: alii cohabitabant conjuges per triennium: & si cum separata manu propinquorum jurant, quod dederunt operam carnalis copule, & non poterunt conjungi, statim separantur. Ita canonice summat.

Celestinus III.

Laudabilem b: & infra. Requistivisti quantum tem-  
pus indulgendum sit naturaliter frigidæ ad experientiam copule nuptialis: [1 & 7.] Nos verò in presenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non posset, cohabitent per triennium: quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, & juxta c decretum Gregorii mulier per iustum iudicium, de viro probare poterit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium: si autem ille aliam acceperit, separatur. Quod si ambo consentiant simul esse, vic eam, esse non ut uxorem, saltem habeat, ut forem. Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint ambo fatentur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bona fama (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis evangelii, uterque iurejurando dicat, quod nunquam per carnalis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videatur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. Verum si ille aliam duxerit, tunc hi qui iuraverant, rei perjurii teneantur, & peracta poenitentia cogantur ad connubia priora redire.

[1] In qua si defecerint separantur.]

CAP. VI.

Propter arthationem mulieris, si apparerit, quod preter divinum miraculum ab ipso, periculo corporali habili reddi non potest, separatur matrimonium: redintegratur, tamen si postea appareat ecclesiæ fuisse deceptam.

Innocentius III. Altiphanens.

Episcopo.

Fraternitatis tuæ literas d. recepimus, continentes quod O. mulier cuidam viro matrimonialiter nupsit, cum quo per multos annos morata, non potest carnaliter ab ipso cognosci. Licet autem per archiepiscopum presbyterum tuum super hoc fuisset edoctus, tu tamen volens habere certitudinem pleniorum, quodam matronas suæ parente providas & honestas, ad tuam presentiam evocasti, districtè illis injungens, sub peccato animarum, ut mulierem ipsam prudenter inspicerent, & perquirerent diligenter, utrum idonea esset ad vitales amplexus, qua tandem in fide sua tibi assererent constanter, quod eadem nunquam poterat esse mater aut conjunx, inquam cui naturale deerat instrumentum, unde inter ipsam & virum divortium celebrasti, mulierem inducens, ut ad religionem aliquam se transferret, perpetuam continentiam servatura: & viro licentiam tribuisti, ut uxorem duceret, quia pater fieri cunctiam tribuisti, quod mulier invenit, contigit autem postea, quod mulier invenit, qui seras hujusmodi reseravit, & abscitiam supernam, quam promissit, G. labori praesentium superavit. Quamvis igitur femiplenè nobis expresseris, quomodo dicta mulier se promiserit continentiam servaturam, utrum videlicet simplici verbo, an voto solemniter

a Debeant. b C. 3. eod. tit. in 2. comp. c Gregori ad Ioan. Ravennatem Episcopum, ut referunt Buz. l. 9. dec. 4. 48. & l. 10. p. 178. & Panorm. hb. 6. c. 4. sive c. 119. d C. 30. eod. tit. in 2. comp. coeundi in 2. comp. vid. B. Th. 4. sent. dist. 34. q. 1. art. 2. vide Hostien. in summ. tit. de frigid. & malefic. 6. qualiter & quando utrum





utrumve ad religionem transierit, ut promisit, an contra promissionem a suam in domo remanserit, & qualiter seras illas fecerit referari, utrum videlicet artificio medici, an concubitu viri, seu alio quolibet modo: notamen perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri: sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus esse prolatam, cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiseretur: & ideo inter ipsam & primum virum dicimus matrimonium existisse: quare inter eam & præfatum Guil. matrimonium non esse censuimus, eosque præcipimus abinvicem separari. Et si prædicta mulier ad religionem transierit (sicut asserit & promississe) primus vir, qui non cognovit eandem, cum ea remaneat, cum qua postmodum ecclesie auctoritate contraxit: alioquin ea dimissa, debet ad illam redire, cum qua primò contraxit, nisi fide voto mulier illa constrinxerit ad continentiam observandam, ut intelligatur per hoc cum præfato Guil. fornicata fuisse, vel nisi se fornicario modo alii viro miscuerit, ut primus vir prætextu fornicationis, ejus velit consortium declinare: nam si tantum simpliciter verbo se promisit continentiam servaturam, & postea in conspectu ecclesie nuptis memorato Guillel. quamdiu articulus iste dubitabilis erat, presumi non debet, quod fornicaretur cum illo, sed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere. Per hæc & autem questionem illam noviter esse solutam, qua quaeritur, utrum ea, quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commiseri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo a violentia inferatur, non solummodo levis, sed forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi. Similiter illa, quæ viro cui nuperat, adeo arcta est, ut nunquam ab eo valeat desolari: si ab eo sit per judicium ecclesie separata, & nubit alteri, cui arcta non sit, & per frequentem usum secundi, reddatur etiam apta primo: utrum ad eum redire debeat, cum quo prius foedus inierat conjugale. De talibus autem non est facile judicandum: cum finale judicium pendeat ex futuro.

CAP. VII

*Si uxor dixit virum, cui cohabitavit per triennium, non habere potentiam coeundi, eis hoc jurantibus cum septima manu propinquorum, matrimonium separatur. b. d. in habendo verbis lura.*

Honorius III. e

Litteræ vestræ nobis transmissæ continebant, quod cum causa matrimonii quæ inter M. Mulierem & A. ejus virum vertitur, vobis fuisset ab I. Papa prædecessore nostro commissa: dicta M. proposuit, quod cum octo annis elapsis dicto A. fuisset matrimonialiter copulata, & licet diu cohabitasset eidem, adhuc integra permanebat, eo quod prædictus vir ejus non habebat potentiam coeundi: quare petebat divortium celebrari. prædictus verò A. fatebatur, quod illam nunquam cognoverat: tamen se habere potentiam cognoscendi alias adferebat. Vos verò, ne id confiterentur in fraudem, à matronis bonæ opinionis, fide dignis, ac expertis in opere nuptiali, dictam fecistis inspicere mulierem: quæ perhibuerunt testimonium ipsam adhuc virginem permanere. Postmodum per Presbyterum, de cujus parochia vir ex-

*a* Dicitur suam, deest in antiq. exemplaribus. *b* Hac verba, sicut asserit prom. desunt in omnibus Vaticanis, habentur tamen in alii paulo recentioribus & antiqua compilat. *c* al. per hoc autem. *d* al. aut alio simili modo, &c. *e* Si hæc decretalem intelligas juxta communem sensum, ut loquatur de eo qui per maleficia factus erat impotens ad congressionem cum uxore, vide *Sol. q. sent. dist. 34. q. 1. art. 3.*

titit, fecistis inquiri, utrum ipse aliquam cognovisset: nec per inquisitionem ipsam vobis constare potuit, aliquam esse carnaliter cognitam ab eodem. Muliere autem requirente divortium, & dicente, quod mater esse volebat, & filios procreare, proponente verò viro, quod paratus erat stare consilio ecclesie, injunxistis eisdem, ut agerent poenitentiam de commissis, & sic forte placet Deo, qui matrimonii fuit institutor & auctor, ut opus matrimonii consummarent: qui post plures terminos ad vestram reverti præsentiam, consona voce dixerunt, quod non poterant carnaliter commiseri. Quocirca mandamus, quatenus si ita est, & constiterit vobis præfatum virum & mulierem, intra prædictos octo annos, per continuum triennium insimul habitasse: ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commiseri carnaliter nequivisse, proferatis divortii sententiam inter eos.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIE.

TITVLVS XVI.

CAP. I.

*Matrimonium contra interdictionem ecclesie, vel judicis factum seu contractum, propter hoc solum non dirimitur: imponitur tamen poenitentia sic contrahentibus, & separantur, donec cognoscatur de causa interdictionis. h. d. in effectu votus iste titulus.*

Alexander III. Papien. Episcopo.

Littere b, quas tua nobis fraternitas destinavit, expressè declarant, quod cum quidam sororem suam jam nubilem cuidam se daturum in uxorem ea præsentem & consentiente, præfatum juramento firmasset: & illa non post multos dies dona & munera viri secundum morem terræ spontè suscipiens, ipsum tanquam proprium virum sæpè amplexata fuisset: tandem mortuo fratre, à proprio viri sui fratre se desponsari permisit, & quod ab illo cognita fuisset, mendaciter adseverat. Cumque ei prohibuisses publicè, ne cui illorum, vel alicui d se copularet, ipsa spretis monitis tuis, alii nubere non expavit: demum cum mulieri præcepisses, ut ad domum matris rediret, ipsa nostram audientiam appellavit: [ 1 & 7. ] Mandamus, quatenus si est ita, præfatum mulierem, (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas, & imposta sibi de tanto excessu poenitentia condigna, postquam in domo materna per mensem steterit, ad tertium reverti permittas.

[ 1 Verum quoniam sollicitudini nostræ incumbit excessus & enormitates aliorum corrigere, & ad modum & formam rectitudinis revocare: s. t. p. a. f. ]

CAP. II.

*Sponsalia de futuro cum una etiam contra interdictionem ecclesie contracta, non habent dirimere matrimonium postea contractum cum alia.*

Idem Vigoren. & Baron. Episcopi. e

EX litteris f Cantuarien. Archiepiscopi ad nos pervenit, quod cum G. de sancto Leodegario M. filium suam absentem, cuidam R. nomine desponsasset: [ 1 & 7. ] Postea orta suspitione, quod præfatus R. ad alia desideraret vota transire, ad examen fuit dicti Archiepiscopi causa perlata: qui sub anathematis interminatione prohibuit, ne antequam de præscripto negotio plenè constaret, vir

*a* In uno Vaticano: si forte placeret Deo, qui matrimonii fuit institutor & auctor, opus matrimonii consummarent, &c. *b* C. 1. eod. tit. in 1. comp. *c* ab eod. *d* alii: sed in antiquis, alicui. *e* Vigoren. & Baron. al. Vigornen. & B. sed serè in om. manuscr. Vigor. & Baton. *f* C. 3. eod. tit. in 3. comp.